AD CLERVM PRO FORMA CONCIO HABITA IN TEMPLO BEATÆ MARIÆ *OXON:* MARTIJ 13. 1634.

PER THO: TWITTEE SANCTÆ Theologiæ *Bac. è Coll. Oriell.*

Non habent Dei Charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt unitatem: Auguſt. *lib.* 3. *de Baptiſ. cap.* 16.

OXONIÆ,
Excudebat LEONARD. LICHFIELD,
AN. DOM. 1640.

BRITISH MUSEUM

VIRO VENERABILI
D.
IOHANNI
TOLSON,
SANCTÆ THEOLOGIÆ
PROFESSSORI COL. ORIEL.
PRÆPOSITO
DIGNISSIMO,
HANC SVAM QVALEMCVNQVE AD CLERVM PRO FORMA CONCIVNCVLAM,
DEBITÆ OBSERVANTIÆ,
AC GRATITVDINIS ERGO
D. D. D.

THOMAS TWITTIUS.

BRITISH MUSEUM

1. Pet. 3. 8.

Τὸ δὲ τέλος πάντες ὁμόφρονες. In fine omnes unanimes.

MUndi panegyricum, nil meliùs loquitur quàm harmonia, nihil magis promovet ornatum; ut enim præpotens ille rerum conditor in ſua natura unus eſt, & tamen beata & ſempiterna Trinitas Pater, filius, & ſpiritus ſanctus, ut ſcitè in primo parvorum Sermonum *Divus Bernardus*: ita inter ſe uniantur oportet, quæcunque in illo conſiſtunt: tolle ex hac pulcherrimâ fabricâ mirabilem concordiam, quâ ſphæræ Cœleſtes, & elementa inter ſe (alioqui diverſiſſima) conveniunt, & cum Poeta videris, omnia in antiquum iam ruitura Chaos: immò ut Prophetæ ver-

bis utar, nisi cœli terram exaudiant, & hæ duæ remotissimæ mundi partes, consensum inter se mutuum habeant, proventu terræ carebimus. Eadem est & corporis humani ratio, in quo, humores inter se natura diversi, valetudinem bonam conservant si rectè temperentur, sin verò dissideant, toti citò corpori sunt exitio. Idem etiam in corpore politico (republicâ scilicet) fieri solet, quod prudenter olim *Menenius Agrippa* observavit; Qui populum Romanum adversus primates tumultuantem, egregio de corporis humani constitutione apologo ad obedientiam, & concordiæ studium reduxit. Eadem est & corporis mystici, (Ecclesiæ scilicet) conditio ut fidelium consensu, & concordiâ, statuminetur & creleat, contentionibus autem, ac dissidijs, eradicetur ac pessum eat. Quod divino spiritus afflatu edoctus beatus Apostolus, præcepta personalia, generali jam concludit thesi τὸ δὲ πλοῦς πάντες σύμφρονες. In summa sitis omnes unanimes. uti Glossa in locum, diversas personas, diversos sexus, diversas conditiones docui, nunc omnes communiter admoneo

quomodo

quomodo ſe gerant erga omnes, in ſumma ſitis omnes unanimes: quoniamque non agnoſcit magnus ille καρδιογνώστης carnales legales ſeu politicas hominum præheminentias, ſed quatenus boni vel mali ſunt, Non eſt *Judæus* neq; *Græcus*, non eſt maſculus neq; fœmina, non eſt ſervus neq; liber, in Chriſto omnes unus ſumus; hanc itaque diſtinctionem ſolummodo reſpicit Apoſtolus, officium noſtrum erga bonos graphicè depingit in praxei harum quinque virtutum quarum

Prima eſt Ὁμοφέγεια, unitas, unanimitas, concordia, conſenſus morum animorum, judiciorum τὸ δὲ πλοῦτος &c.

Secunda eſt Συμπάθεια, compaſſio qua, unus alterius commodo vel incommodo tangitur tanquam in cauſa propria, qualis deſcribitur in corpore naturali εἴ πάσχει τι μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη, 1. *ad Corinth.* 12. 26.

Tertia eſt φιλαδελφία, fraternus amor, quo proximum in Deo amantèr complectimur, ſtudio vivamus, non ut Schiſmatici, toti pro fraternitate nil pro ſocietate, neque ut Epicuri de grege porci, omnes in ſocieta-

te,

te nulli in fraternitate, sed veri *Philadelphij* fraternitatis amatores, ut fratres amantes.

Quarta est Εὐσπλαγχνεία, Condolentia misericordiæ proprius effectus magisque specialis quàm compassio, radicem habens profundiorem *Racham* Nomen à visceribus deductum, non ut dura messorum ilia, sed quasi viscera habentes boni uti Apostolus Ἐνδύσασθε σπλάγχνα οἰκτιρμῶν *Coloss.* 3. 12.

Quinta est φιλοφρόνησις, urbanitas comitas, suavitas morum in convictu: Quod ad impios attinet unico εὐλογίας vocabulo complectitur, studio scilicet benedicendi, Non reddentes malum pro malo, aut convitium per convitio, sed expectantes Dominum qui liberabit *Prov*: 20. 22. Hæ sunt virtutes quibus triplex additur ratio.

1 Vocationis beneficium, in hoc enim vocati estis.

2 Cœleste prœmium, sic enim itur ad astra, hæcque via ad magni Regis palatitium, uti prophetico Regij *Davidis* testimonio liquet. *Psalm.* 34. 12.

3 Christi exemplum hæcque omnium potissima, cum omnis ejus actio sit nostri instructio,

instructio, summaque Christianæ religionis sit, imitari, quem colis; uti *Divus Augustinus.*

Fælix hæc virtutum concatenatio, quas primo (ut aiunt) limine mihi tantùm liceat salutâsse, prima harum primò occurrit, hæc enim omnium summa, summa summarum, in summa sitis omnes unanimes.

De unitate autem dicturo, & in corona hac, liceat mihi unicâ phrasi Apostolicâ vos compellare παρακαλῶ ὑμᾶς ἀδελφοὶ τὸ λόγου τῆς παρακλήσεως. Non enim docere Doctores, aut instruere Patres mihi convenit, nec meritò tritum objiciatur adagium *Sus Minervam*: Non itaq; à me expectet vestrûm quispiam eloquentiam forensem, *Concionem* grammaticè conceptam, dialecticè imaginatam, rhetoricè purpuratam, sed simplici stilo, & populari, simplicem verbi divini veritatem, Rusticus sum fateor, est mihi tamen panis in perâ, verbum Dei in memoria, quod ne sit ad nauseam, ne tendat ad noxam neq; cum fastidio audiatur, ne quod minuatur *Divus Bernardus* cùm non sit ad scientiæ nutrimentum, saltem

foret

foret ad conſcientiæ tormentum.

Conſtet autem primo de termini ſimplicis ambiguitate, multiplex etenim eſt unitas, ut ſcitè idem Pater libro quinto de conſideratione ad Eugenium:

Nativa, quâ anima & caro unus naſcitur homo.

Dignativa, quâ limus noſter à Dei verbo, in unam aſſumptus eſt perſonam.

Votiva, quâ anima votis omnibus adhærens Deo, unus eſt ſpiritus.

Poteſtativâ qua homo virtutis non inſtabilis, non diſſimilis, ſed unus ſibimet ſemper nititur inveniri.

Conſtitutiva cùm multa membra unum corpus, multæ partes unum totũ conſtituunt.

Conſentanea, cum per charitatem multorum hominum unum eſt cor, & anima una, uti in Primitiva Eccleſia: actorum. 2. De hiſce poſtremis loquitur Apoſtolus hoc in loco, ſitis omnes unanimes.

Hæc illa quam tam pulchro elogio Regius Propheta admiratur *Pſal.* 133. Ecce quàm bonum & quàm jucundum *&c.* Vnde *Divus Bernardus* 44. parvorum ſermonum. Sunt quædam

quædam bona & non jucunda, continentia, patientia, disciplina. Quædam jucunda & non bona, ut voluptas, curiositas, vanitas, nec bona nec jucunda, invidia, tristitia, accidia: & bona, & jucunda ut honestas, charitas. Nil itaq; pulchrius concordiâ, nil desiderabilius unitate, hæc Christiani tessera ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ ἐστε μαθηταί Io: 13. 35. Hanc autem quanto studio nobis commendatam *Dominus Iesus* voluerit, clarissimè indicat cœlestis & seraphica illius oratio, quâ usus est ad Patrem, ipsissimâ horâ, quâ jam semel ipsum traditurus erat pro nobis hostiam: quid enim aliud rogitat quàm ut unum cum eo, & unum inter nos simus? quod non tantùm pro ijs oravit qui aderant, vetùm pro ijs qui in posterum crediturí erant; hos etiam ut consertam coronam Patri tunc offerens, unionis Ecclesiasticæ catenâ verè aureâ, colligari petijt universos, ut omnes unum essent ex universis qui continua successione Evangelium essent suscepturi, unam congregationem constituens, quæ propterea Catholica dicitur, quia non duas, aut tres invenire liceat quin discerpatur Christus, quod fieri non potest, ut quæ non aliqua mundi

parte (sicut veteris religionis populus) sed orbe universo, neque ad tempus aliquod præfixum, sed usque ad confirmationem sæculi, neque peculiariter ex semine *Abrahæ*, sed ex omni natione esset congreganda, ad ineffabilem inter sese, & cum illo unionem, quam, eo diligentiùs retinendum est, quo, nihil aliud quam vinculum illius pacem, testamento nobis legare dignatus est, quin & mortis illius tam acerbæ, ut in cruce, cum misericordiæ genus esset citò occidere, tam ignominiosæ, ut in *Calvaria*, foetidissimâ *Calvariâ*, (atque in medio latronum tanquam immanissimus latronum) causa alia non fuit, quàm ut filios Dei congregaret in unum. Quinimò cum Ecclesiæ suæ pulchritudinem prædicare voluit, unicam illam, columbam suam appellat, integram suam unicam illam apud matrem suam, puram illam apud genetricem suam *Cantic. orum* 6. 8. & quanquam sexaginta sint Reginæ, concubinæ octoginta, & numerus puellarum sit sine numero, tamen una, & unica est Ecclesia, Christi sponsa & columba, unde *Cyprianus* in tractatu de simplicitate prælatorum, seu de unitate Ecclesiæ, Nemo fraternitatem

nitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prævaricatione corrumpat, Ecclesia una est quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radij, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, (numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate) unitas tamen seruatur in origine; Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit, ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit, à fonte præcide rivum, præcisus arescit, sic & Ecclesia Domini luce profusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa, illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, illius spiritu animamur. Expetite itaque pacem *Hierusalem*, tranquilli sint amantes tui, sit pax in præmunitione tua, & tranquillitas in palatijs tuis *Ps.*

122.6. & quicunque ſecundum hanc regulam incedunt, pax ijs & miſericordia, & ſuper *Iſraelem* Dei: cum è contra: Quiſquis ab Eccleſia ſeparatus, adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec pervenit ad Chriſti præmia; qui relinquit Eccleſiam Chriſti, boſtis eſt, profanus eſt, nec habere poteſt Deum patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.

Tantùm ergo poterit Eccleſiæ participatio, ut nos in Dei ſocietate contineat. Atque hinc explicationis gratiâ, clariſſimè liquet, qualem hic nobis unitatem, atq; unanimitatem commendat Apoſtolus, illam ſcilicet Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis. Conſuetudo ſine veritate, erroris vetuſtas: atq; unitas ſine veritate, conſpiratio eſt, non concordia: fuere Prophætæ *Baalis* quadringenti, quinquaginta viri, cùm unus *Eliiab* relictus ſit Propheta *Iehovæ*; *Judei* omnes uno ore clamitabant contra Chriſtum, crucifigatur, ſolus *Nicodemus* audebit cauſam ſuppreſſi ſuſcipere, num lex noſtra condemnat quempiam, priuſquam ex ipſo audiêrit? *Johan.7.51.* & unus *Ioſephus* vir bonus & Senator, non aſſenſus fuerat facto eorum, qui Dominum gloriæ necavêre, & tamen

men hî verè unanimes ſcatent inter nos undequaq; καιρωδουλεύοντες, qui ad theologiæ ſcandalum, diſcurſu atheiſtico, *Luciani*, *Porphirij*, *Iuliani*, tranſcendunt ſcommata, Scripturas, Sabbata, conciones divinaq; omnia μυκτηρίζοντες, quibus, ut ſæpè fert temporum ratio (nec diſſentire ſalvâ gratiâ, neque conſentire) ſalvâ poſſumus conſcientiâ; rectiùs tamen cum *Hieronymo* ſtatuendum melius disſidium pietatis causâ ortum, quàm vitioſa concordia. Non veni pacem mittere ſed gladium (inquit ſalvator) lucæ: 12. Specioſum nomen pacis, & pulchra opinio unitatis, inquit *Hylarius* contra *Aurentium*, ſed quis ſolùm ambigat, eam ſolam Eccleſiæ & Evangelicorum unitam pacem eſſe, quæ Chriſti eſt? Antichriſti miniſtri de impietatis ſuæ unitate ſe jactare ſolent: Non inconcinnè itaq; legunt quidam interpretes in fide ſitis omnes unanimes, quoniam μία πίστις *Epheſ*. 4. 5. alij in oratione, quia concorditer, & uno ore laudandus eſt Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti *Rom*. 15. 6. non tamen votum, ſed votorum non clamantium, ſed amantium, non chordulorum, ſed cordium, reſpicit conſenſum, magnus ille καρ-

δι-

διογνώσης, quod ex versu præcedenti constat, cum precatur Deum patientiæ & consolationis, ut det ijs τὸ αὐτὸ φρονεῖν καὶ Ἰησοῦ χριστοῦ. Posset enim fieri (inquit Origenes) ut in malitia aliqui unanimiter consentirent, & unum saperent in pejus; & hoc τὸ αὐτὸ φρονεῖν καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ (pace *Parei*) non tantum erit in fundamento salutis, sed uno consensu, discendo, & proficiendo Ecclesiæ ordine à Deo præscriptum colere ut in hoc rectissimè *Calvinus*:

Non itaq; abundet quisq; suo sensu (ut novatores vellent) hinc enim fit ut cùm variè disceptatũ sit, vulnera nostra nequicquam curata sunt, quia quisq; sibi sapit, opiniones suas tueri cogitat, nec concordia quæritur secundum Christum, sed secundũ affectus hominum: sed in agraphis & adjaphoris istis quæ fortasse ex sese, & citra salutis jacturam ignorari, vel fieri, vel omitti queant, cum tamen Ecclesia, veritatis columna (& cui solummodò hæc potestas concessa est) aliquid certò determinaverit consentiendum immò & subjiciendum est. Ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει 1. *Pet.* 2. 13. Et si omni ordinationi humanæ, multò magis omni ordinationi Ecclesiæ; si non audit Ecclesiam

deſiam ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus uti ſalvator, *Mat.* 18. 17. atque ordinationum Eccleſiaſticarum contemptum non leviori pœna dignum ſtatuit beatus *Paulus:* 2. *Theſſ.* 3. 6. & quarto capite Epiſtolæ ad *Epheſios* ſeriam ad concordiæ ſtudium πρόσεχον inſtituit: obſecro ego vos vinctus in Domino ut dignè ambuletis vocatione veſtrâ, ſtudentes conſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Vbi ſeptem valida addit argumenta.

Vnum corpus, unus ſpiritus, una ſpes, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium.

1. Πολλὰ μέλη ἓν σῶμα: 1. *Cor.* 12. 20.
2. Quanquam ſunt donorum diſcrimina, & miniſteriorum diſtinctiones, hæc tamen omnia operatur unus idemque ſpiritus, qui conſecrat, ſanctificat, conſolatur, benedicit, perducit ad Eccleſiam, quæ velut navis in mari, in funibus charitatis, velo orationis, arbore crucis, unoq; remigio ſanctitatis portat credentes.
3. Vna ſpes ſalutis æternæ, atque hæc illa firma, & tuta animæ anchora: *Heb.* 6. 19.
4. Vnus Dominus, tametſi enim multi in

cœlo & terra dicantur Domini, nobis tamen unus *Dominus Jesus* per quem omnia, & nos per ipsum. 1. *Cor.* 8. 6.

5. Una fides, quæ, licèt non una, quâ creditur, una fidei doctrina, licèt non una fides doctrinæ, una respectu objecti, licet ratione subjecti, unusquisque propriam habeat fidem, & ubi unitas fidei ibi nulla discordia, ibi omnes unanimes.

6. Unum Baptisma, 1. Quia per unum, idem aquæ Elementum eadem administrationis formula. 2. Quia ad unum in uno semel verè receptum, haud reiterandum, contra antiquos Valentinianos & modernos Anabaptistas. 3. Quia in unum, quotquot enim baptizati sunt in Iesum Christum, in mortem ejus baptizantur. *Rom.* 6. 3.

7. Unus Deus & Pater omnium, ergo simus unanimes; uti argumentatur Propheta, Nonne Pater unus nobis est? Nonne Deus fortis unicus creavit nos? Quare perfidi simus alter in alterum profanando fœdus majorum? *Malach.* 2. 10. Addo insuper unum Evangelium est quo instruimur, si quis ergo aliud evangelizaverit Anathema esto.

esto *Galat*. 1. 8.

Unus est cibus quo reficimur, eadem *Manna* cœlestis panis ille Dei qui de cœlo descendit, idem potus spiritualis: 1. *Cor*. 10. 4.

Unum redemptionis prætium, non corruptibilia, aurum, argentum, aut ejusmodi sed pretiosus Iesu Christi sanguis tanquam agni inculpati & incontaminati. 1. *Pet*. 1. 19.

Postremò, una merces, Deus ipse, uti *Abrahæ*, *Genes* 15. 1. immarcessibilis gloriæ corona, uti dignis pastoribus pollicetur Apostolus, quarto capite hujus Epistolæ versu quarto, καὶ φανερωθέντος τοῦ ἀρχεποίμενος τοῦ κομιεῖσθε τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. Quandoquidem itaque nascimur una eademque Ecclesia, agnoscimus unum eundemq; Dominum, adoramus eundem Deum, obsignati sumus eodem spiritu, profitemur eandem fidem, sanctificamur eodem Baptismate, redempti sumus uno eodemq; pretio, expectamus eandem coronam, necessario tandem sequetur ut simus omnes unanimes.

Privatæ inimicitiæ maximo semper detrimento affecêre Ecclesiam, & religionem

in multas sectas dissecuerunt, ut verisimè *Nicephorus lib.* 11. Ecclesiæ historiæ *cap.* 12. Omitto hìc quæ de pace externâ dici queant, atque ut vel ferro, vel foro violatur, ferro, cùm ob levissima quæque manus paricidales sibi invicem inferunt, viri sanguinum statuentes cum istis in Oratore, hodiè cænabimus apud inferos; vel foro, quando frater cum fratre litigat 1. *Cor.* 6. 6.

Duabus autem artibus potissimùm *Sathan* Ecclesiæ unitatem & pacem perturbare solet; aut enim pravis dogmatibus puritatem doctrinæ adulterando, inter Doctores dissidia excitat, aut disciplinam Ecclesiasticam violando, scandalis Ecclesiam deformat, ideoque cum Apostolo. Παρακαλῶ ὑμᾶς ἀδελφοὶ σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα ποιοῦντας ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν. *Rom.* 16. 17.

Quales autem hi sunt cernitis, vel enim hæretici, qui corrumpunt fidei dogmata, vel schismatici, qui disrumpunt charitatis vincula; nam ut semel Christus ipse, sic semper Ecclesia Christi, inter hosce duos maleficos crucifigitur.

Hæ

Hæresiarchæ autem inter nos sunt Pontificij, qui gratiæ, meritum, misericordiæ, liberum arbitrium, Iesu sanguini *Mariæ* ubera, orationi, missam suam opponunt, immo & præponunt: atque si Epigraphen Apostoli: versu sequenti perpendimus, Pontificem Romanum cum suo satellitio, præcipuè Iesuitas digiti monstrarier videbimus.

Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων, hisce etenim artibus & assentationibus aulis Regum & principum se insinuare, in gynæcea irrepere mulierculas captivas ducere, & simplices in nassam suam pertrahere nôrunt: Impostores pessimi, incautos à viâ veritatis seducunt, superstitionibus & mendacijs dementant, & dum certam, ad cœlos viam promittunt, in gehennam eos rectà præcipitant.

Non itaque (pace *Cassandri*) de nugis, sed de fundamentalibus, non de finibus, sed de tota possessione inter nos controversia est, ut olim inter Stoicos & Academicos: &

quanquam ipsis etiam Dœmonibus convenit sibi invicem obedire in schismate, uti *Hieronimus*; ipsis tamen Pontificijs non convenit in hæresi; Quàm aliena sunt nonnulla Sorbonistarũ sophismata à fucis quibusdam Jesuiticis, & cùm unionem ut septimam Ecclesiæ notam, jactat *Bellarminus*, illam tamen non servârunt.

Annon facile est ostendere Patrem contra Patrem, concilia contra concilia, scholasticum contra scholasticum, Pontificem contra Pontificem, & *Gregorium* contra omnes in titulo universalis Episcopi, quod Antichristi nomen, & [illegible] indubitanter affirmaverit? Quid autem ego hæc, vobis quam mihi notiora? Tantum precor cum Apostolo, ut observetis hosce discidiorum authores qui corrumpunt fidei dogmata, & declinetis ab ijs.

Secundò observandi sunt schismatici, qui disrumpunt charitatis vincula, (nam quos hæreseos humore nequit) saltem seperationis Cymba à nobis avehere conatur *Sathan* ut cum Poeta.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currant.

Superbia

Superbiâ tumidi, pervicaciâ vesani, calumnijs insidiosi, qui (non odio iniquitatum alienarum) sed studio contentionum suarum infirmas plebes jactantiâ sui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè dividere affectant ut de istiusmodi *Divus Augustinus* lib. 3 cont. *Parmenionem*. cap. 1.

Tales sunt hodiè, qui æmulâ malitiâ, ignorantiâ affectatâ, & sancto εὐσχημοσύνης scommate & contemptu, nullam volunt omninò Ecclesiæ disciplinam, nisi illorum excogitatam, efformatam cerebro, ideoque dominatum aspernantur, & dignitates vituperant ἀτόκοις qui bestiam fugientes, in manifestam incidunt idolatriam, si *Divo Gregorio* fides; quasi enim scelus idolatriæ, est nolle acquiescere monitis superiorum, Moralium, *lib. 25. cap.* 10. ac rationem ibi reddit sanctus Pater. Tantò enim quisque Deum citiùs placat, quantò repressa arbitrij sui superbia, præcepti gladio sese immolat.

Objiciunt tamen quòd, Christi sancta est Ecclesia, fatemur, sed simul intelligant, illam esse tanquam lilium inter spinas, tanquam

rete,

rete, in quo, piſces omne genus colliguntur, neque ſeliguntur donec in littore ſint expoſiti, inſtar agri qui fruge bonâ conſitus, zizanijs inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream advecta fuerit meſſis, denique inſtar areæ, in qua ſic collectum eſt triticum, ut ſub palea deliteſcat, donec cribro repurgatum, in horreum tandem recondatur.

Etſi videntur in Eccleſia zizania, aut vaſa impura, non eſt tamen cur ipſi de Eccleſiâ recedamus, nobis modò laborandum, ut frumentum bonum eſſe poſſimus, & quantum licèt innitendum, ut vas aureum argenteum ſimus, uti *Cyprianus* lib. 3. Ep. 5.

At hæc iſti non ſapiunt, unde ſit, ut cùm integrum Chriſti corpus inter manus perſequutorum in cruce permanſerit, inter manus Chriſtianorum, non ſit integrum corpus Eccleſiæ;

Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur.

Armatis tamen militibus, quorum Chriſti maduerunt ſanguine manus, tantus *Di-*

vûm

vùm pudor, tanta numinis reverentia, ut inconsutilem ejus tunicam scindere noluerunt: Agnosco equidem providentiam divinam, adoro scripturæ veritatem, hæc etenim facta sunt, ut adimpleatur, quod scriptum est: Insana saltem schismaticorum barbaries, qui corpus Ecclesiæ lacerant: at multa sunt mala nostra, eaq; impunè ferunt: fatemur, plura certè quàm in votis est, sed si remissior in hoc (quam par est) fuerit Ecclesia, non ideo protinus uniuscujusq; privati erit, judicium separationis sibi sumere, & nostram renunciare communionem; quibusdam sanè caremus malis, carendo istiusmodi homuncionibus neq; nobis omnia aderint vitia, dummodo beati erimus illorum absentiâ: Ecclesiam nostram matrem suam esse, inficiare nequeunt, & tamen meretricem illam vocitant, belli filij, laqueo digniores, quàm benedictione.

Sed auximus istos, nos ipsi Athenienses, at certè in jussu nostro hoc factum est, non de nobis, ideoq; recesserunt à nobis, pileati irrepserunt docendi munus sibi arripientes,

priusquam aliquid rectè didicerunt. Insolentia clericorum, cujus causa negligentia Episcoporum, ut olim *Bernardus Eugenio.* Epist. 102.

Hi sunt Τραπεζοκόες isti Capellani mensipetæ, qui ob frustum panis transgredi nôrunt, qui (pendentes ab errore vulgi) ordinem Ecclesiæ violant, ad nutum cujusq; Domini, & ad eorum pelves & pulvinaria deprimunt spiritum, & omnia pro more, & humore laicorum faciunt, scilicet ne menstruales subtrahant exhibitiones: Haud ignota cano, sed benedictus Deus qui talem rem indidit animo Regis, ad exornandam domum *Iehovæ*; qui verus Ecclesiæ Nutritius, pacis ac ordinis ejus quàm studiosissimus existit: & beata hæc nostra tempora, quæ talem nobis produxere Cancellarium, qui (non modo ædificijs quàm amplissimis) sed eximia pace hanc nostram exornavit Academiam, tumultus sedavit ἀμφότερους, tandèq; efficiet, ut non solùm in hisce Musarum domicilijs, verum etiam in universa Ecclesia, omnia juxta præceptum Apostoli, fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. 1. Cor. 14. 40.

Unicum

Unicum addo & finio (Reverendi Patres, fratres in Christo docti & dilecti,) per viscera *Domini Iesu* obsecro & obtestor, ut (omissis dissentiunculis quibuscunque) tandem simus omnes unanimes, & sectemur quæ ad pacem faciunt, & mutuam ædificationem; sit in unoquoque nostrum ἰσοψυχία illa quam *Timotheo* suo commendat *Divus Paulus Philip.*2.20. & curam habeamus gregis Domini, secundum triplicem Apostoli nostri antithesin, quinto capite huius Epistolæ, μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλὰ ἑκουσίως μηδὲ αἰσχροκερδῶς ἀλλὰ προθύμως, μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῆς ποιμνίου.

Ut nunquam de nobis gravissima illa audiatur Ecclesiæ querela, cuius meminit *Divus Bernardus* super *Cant. Serm.*33 Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara priùs in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima demum in moribus domesticorum; filios enutriui, ipsi autem spreverunt me, maculaverunt me à turpi vita, turpi quæstu, turpi commercio, à negotio perambulante in tene-

bris. Omnes amici, omnes inimici, omnes neceſſarii, omnes adverſarii, omnes domeſtici, nulli pacifici, omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærant; miniſtri ſunt Chriſti, & ſerviunt Antichriſto, & honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt; hæc autem (ut alibi idem Pater) vobis, non de vobis dicta ſunto.

Quod reliquum eſt Fratres, gaudete, compingimini, conſolatione fruimini, in pace agite, & Deus charitatis & pacis erit vobiſcum: Diligite veritatem, deſiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem, Quod faxit Deus Pater per *Ieſum Chriſtum* filium ſuum, & Servatorem noſtrum unicum, cui cum ſpiritu ſancto, ſit omnis honor, laus, & imperium nunc & in ſecula. Amen.

28 MR 59

FINIS.